Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1797

Quelle:
Copyright:

aliquo poſtea obliteratum. Opus ceterum jam *Vol.* I. P. 3. *col.* 2505. et alias hoc *Vol.* retuli una cum *Adparatu* ſeu *Gloſſa*, qua etiam in praeſenti Exemplo gaudet. Nec ſub finem alphabetica in omnes IV. Libros Tabula deeſt. Fuit olim Bibliothecae Epiſcopatus *Neoſtadienſis*.

DCCXLVI.

R. 3040 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 321. f. luculente et pulcre perſcriptus, coloribus illuſtratus, *anno*que 1426. *donatus*, ut praefertur, *Monaſterio ſancte Dorothee vienne ab Ordinario in Scola Juriſtarum Magiſtro Caſparo* (de Meiſelſtein) aliud eſt praecedentis *Summae* Exemplar Gloſſa Textum paſſim ambiente, et ad calcem Tabula alphabetica inſtructum. Ante Tabulam minio: *Johannes de Columbaria* (Colmaria) *dictus Hebeſche ſcripſit ſummam iſtam. Sit nomen domini benedictum. Amen.* Quid vero penſi receperit, notavit Poſſeſſor *fol. ult.* vacuo ita: *Pro pergameno. et Scriptori. dedi in iſta Summa. VIIII. libras. et VII. ſolidos. Sine illuminatura. ligatura. et correctura.*

DCCXLVII.

R. 3114 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 222. 4. optime ſcriptus et ſervatus, coloribus illuſtratus, ejusdemque olim *Monaſterii* eandem *Summam* exhibet, Autoris nomine ſub initium et finem ſola prima litera R. expreſſo, cui in fine additur: *de mio*, quod, ne quem moretur, contractum eſt pro *Matrimonio*.

DCCXLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 68 XIV. Folior. 343. 8. per duas columnas manu difficiliore exaratus, rubricis inſignitus, et quondam *congregationis monachorum ſancte Juſtine de padua deputatus Monaſterio ſanctorum Seuerini et Soſij de Neapoli* praetextis quibusdam fragmentis aliquot *Sermonum* de B. V. *Maria* continet S. *Raymundi de Peniafort* O. P. qui juſſu *Gregorii* IX. compilavit V. *Decretalium* Libros, et annum 1275. ſupremum vitae habuit, *Summam de Poenitentia et Matrimonio* IV. Libris diſtinctam, cujus initium eſt: *Incipit ſumma de caſibus compilata a fratre remondo. Quoniam ut ait iheronimus ſecunda poſt naufragium tabula eſt culpam ſimpliciter confiteri* &c. Comitatur *Raymundi* textum in marginibus Gloſſa, quae in edit. *Rom.* 1603. f. quae mihi objacet, *Johanni de Friburgo* ejusdem Ord. nobis Germanis ſatis noto aperte tribuitur, reclamante poſtmodum *Jac. Quetifo* in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 109. f. huic turpi, ut vocat, errato, Gloſſamque hanc *Guilelmo Rhedonenſi* alteri Sodali ſuo ſolide vindicante, cui et *Codex* noſter adſtipulatur; ad calcem enim Operis poſt hanc clauſulam: *Explicit ſumma Magiſtri Raymun-*